



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. De cautione usu fructuarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nec beneficio legis, prohibentis hoc pactum, renuntiare possit debitor (cū publicæ utilitatis causâ, hoc pactum reprobatur sit) nec ullâ consuetudine, tanquam licitum, & validum introduci possit, cūm aduersetur juri naturali. Sunt tamen aliqui casus, in quibus pactum legis commissoriæ licitum videtur. Primò, si conventum sit inter partes, quòd pro debito non soluto intra certum tempus, pignus in solutum cedat creditori, pro iusto tamen pretio, sive quanti a stimabitur à prudente arbitro, & quod superat debiti valorem in pignore, reddatur debitori, quia in tali casu, nec creditor habet aliquid supra sortem, nec debitor damnum patitur, rem pretiosiorē pro minore debito amittendo. Secundò valere censetur hoc pactum in favorem dotis, nondum quidem solutæ, per pignus tamen oblatum interim assecurata (quod tamen non omnes concedunt) cūm enim, qui dotem constituit, plus etiam dare possit, quàm promiserit in dote, consequenter ex illius liberalitate, videtur excedens in pignore pretium provenire, nisi ex verbis illius, qui pignus tale dedit, aliud colligatur. Tertio putant aliqui licitum esse, & valere hoc pactum legis commissoriæ, si non ab initio, vel immediatè post, sed ex intervallo pignori adjiciatur, quasi tunc cesset suspicio fraudis, rectius tamen putant alii, neque hoc in casu adjectum hoc pactum licitum esse, cūm usuram sapiat, quocunque tempore adjiciatur, nisi in primum casum permissum pactum hoc explicetur.

§. VIII.

De cautione usufructuarii.

Quæritur hic utrum, & qualem cautionem præstare debeat usufructarius, quando usufructus rei alicuius generis concessus est. Et respondetur primam quæstionem affirmativè, debet enim cavere, quòd rebus immobilibus v. g. in quibus usufructum habet, salvâ rerum substantiâ uti, frui, vendendum boni viri arbitrium, ita in substantiam rei non sit deteriorē facturum, & quòd finito usufructu restituere sit Domino proprietatis, aut hereditabilis, quidquid ex re in usufructum concessa, superfluerit (neque enim per hoc, quòd usufructum habet in re, aliquis, dominium proprietatis illa re acquirat; sed tantum jus utendi, vel utendi illâ re, sicut vir bonus, & prudens rebus propriis uteretur) & si res in usufructum concessa ipso usu absumatur, uti pecunia, &c. in quibus quilibet usufructus conceditur, cavere debet, quòd finito usufructu tantumdem ejus quantitas res, vel certè æstimationem illarum rerum restitui velit: & quomodo, si uni rem immobilem fructuariam perperam gavit, quoad dominium proprietatis, non possit usufructuario cautionem præstandam, ne proprietario præjudicet, usufructuarius ad delinquendum vellet, potest tamen eam remittere proprietario, sive hæres ille sit, sive legatarius, cūm lex tantum testatori prohibet hanc remissionem, potissimum in favorem proprietarii, cui hic cedere potest, tanquam favori pro se introducto.

Ad secundam quæstionem responde-
tur, cautionem ab usufructuario præsta-
ri debere pignoratitiam, vel fidejusso-
riam, ita ut vel pignore deposito, vel
datis fidejussoribus suam obligationem
securam faciat *cap. Cùm constet 8. h. t.*
cùm enim in hoc Capitulo idoneam velit
Pontifex cautionem ab usufructuario
præstandam, cautionis autem idoneæ
nomine pignoratitia, aut fidejussoria in
jure veniat, consequenter alterutra præ-

standa erit, ita tamen, ut in casu utrius-
que deficientis, ob inopiam usufructua-
rii, juratoria etiam, juramento scilicet
interposito, admittatur, si tamen usu-
fructuarius sit homo vitæ honestæ, ac
probatæ; in casu enim, quo usufructua-
rius suspectæ fidei est, sequestranda esset
res in usumfructum concessa, apud ter-
tium bonæ fidei, & fructus usufructua-
rio præstandi.

TITULUS XXII.

DE FIDEJUSSORIBVS.

§. I.

*De fidejussione in genere, & con-
ditionibus ad illam requisitis?*

Fidejussio est contractus, in quo quis
promittit se soluturum, quod alius de-
bet, si debitor principalis non solverit; ita ut
fidejussio sit obligatio accessoria alteri
obligationi principali, sine qua consistere
non potest; & invalida sit, si principalis
obligatio sit omnimò, tam de jure naturæ,
quàm de jure Civili invalida; & quan-
vis cuilibet conventioni, siue obligationi
accedere possint, vel adhiberi fidejusso-
res, qui fidem suam interponant, de sol-
vendo, quod alter debet, casu quo ipse
non solveret, imò obligationem principa-
lem etiã præcedere possit fidejussio, cùm
non tantùm pro debitis præsentibus alte-
rius dicto modo dissolvendis obligare
se quis possit, sed etiam pro futuris, ad
plus tamen (extensivè non intensivè)
Compend. Pirhing.

non obligatur fidejussor, quàm debitor
principalis, cùm non sit plus in accessio-
ne, quàm in re principali, ut loquuntur
jura, ita ut, si ad plus se obligavit fide-
jussor, obligatus quidem maneat ad sol-
vendum, quantum debet principalis, si
hic non solverit, nulla autem quoad ex-
cessum sit obligatio, nisi accedente jura-
mento promissionem suam firmasset,
quo in casu ad illud amplius non obliga-
retur, ut fidejussor, sed obligaretur, ut
promissor principalis, in reverentiam ju-
ramenti, quod præstare potest. Vide
plura de hac materia & conditionibus
fidejussoris apud Civilistas.

§. II.

*An Prælati Ecclesia, vel alius
Clericus, aut religiosus fidejubere
possit pro alio?*

Respondetur primò, Prælatum Ec-
clesiæ pro alio fidejubere posse ex
T t t redi-